25to. Ex gremio ſuo commiſſionem in competenti numero ad minimum quatuor Conſiliariorum, & Præſidis conſiſtentem deputabit, quæ diebus ad ordinarias Seſſiones conſiliis non deſtinatis conſidebit, liquidationes jam inrotulatas ad dijudicandum aſſumet, & ſuper liquiditate, prioritateque jurium cognoſcet; Erit autem huic commiſſioni peracta intermedio tempore bonorum Debitoris æſtimatio pro directione per Regium Tribunal communicanda, & tam liquiditas, quam prioritas prætenſionis ab eadem indubia reperta in ſententia nomine Regii Noſtri Tribunalis ferenda ſimpliciter agnoſcenda, ſecus vero Debitor ipſe abſolvendus. Quodſi vero

26to. Prætenſa prioritas quidem fundata, attamen liquiditas ipſa prætenſionis ita dubia eſſet, ut nec juramento ſuppletorio circa claſſificatoriam evinci poſſet, Creditori prioritas ſui juris in ſententia claſſificatoria quidem præſalvenda, nilominus tamen eidem ad evincendam liquiditatem ipſam productio meliorum probationum ſub ſpatio ſex hebdomadarum, & ſub pœna præcluſi, atque ammittendæ præſalvatæ prioritatis injungenda, lapſo vero hoc termino, probationibusque melioribus allatis, atque Curatori ad lites denuo communicatis, & confecto Rotulo Regii Tribunalis nomine ſententia finalis ferenda erit. Quantumvis autem

27mo. Debitor plura bona Creditorum prætenſionibus obnoxia poſſideret, nonniſi tamen unica feratur ſententia claſſificatoria. & quidem in hac non commiſceantur Hypothecæ ſpeciales, ſed omnino ad partem Dominii, aut ad bonum quodvis ſpecificum non alii, quam ſolum illi Creditores, qui præciſe in illa parte Dominii, vel in illo bono ſpecifico Hypothecam ſpecialem ſibi præcautam habent, juxta prioritatem jurium ſuorum aſſigtur, & collocentur ita, ut quodvis bonum in ſpecie cum ſuis Creditoribus in eo ſpecialem hypothecam habentibus, & ad hoc bonum aſſignatis ſuo ordine ſententiæ inſeratur. Ejusmodi ſententia claſſificatoria adcitatis prævie Debitore, & Creditoribus publicata

28vo ulteriori illationi, aut declarationi locus non dabitur, niſi interea aliquis Creditorum, qui terminum ad liquidandum præfixum neglexit, reſtitutionem in integrum impetraſſet, vel vero notorius error ſine ulterioribus ſcriptis facile tollendus irrepſiſſet, ubi poſteriores Creditores adcitabuntur, ipſisque declaratio ſententiæ intimabitur. Quodſi vero Creditorum quispiam publicata ſententia claſſificatoria ſe gravatum eſſe ſentiret, liberum eidem erit

29no. Recurſum ab illa interponere, hicque indiſtinctim admittetur, dummodo recurrens hunc intra 14. dies a die publicatæ ſententiæ coram judice, a quo lata ſententia fuit, inſinuet, & intra alios 14. dies, adeoque univerſim in termino 4. hebdomadarum a die publicatæ ſententiæ claſſificatoriæ ſub pœna deſerti recurſus gravatorialem libellum exhibeat, ſportulasque pro reviſionibus ſancitas ad Regii Tribunalis taxarum officium deponat. Hic autem recurſus

3mo non ſuſpenſivum, ſed ſolummodo devolutivum effectum habebit, poteritque proinde ad decretam ſubhaſtationem Bonorum vel vero ad

eorundem distributionem inter Creditores procedi, dummodo una prospiciatur, ne Creditori fortasse recurrenti, si ejus gravaminibus deferretur, præjudicium fiat.

Sancita jam hac processum cridæ, seu potioritatis pertractandi methodo sequitur.

## Articulus secundus.

## De cognitione prioritatis prætensionum per Creditores in processu cridæ seu potioritatis liquidatarum, collocationeque aut classificatione earundem.

Si Creditorem quispiam generalem, & specialem hypothecam sibi a Debitore præcautam habet, specialis solum, in quantum ipsum scriptum, vel Chyrographus ad acta proprii Districtus oblatus, & intabulatus, vel roboratus aut recognitus est, in classificando attendenda erit, generalis vero reliquis Creditoribus specialem hypothecam legaliter oblatam, roboratam, aut recognitam habentibus imposterum non præjudicabit, proinde si specialis hypotheca ejusmodi Creditorum, non sufficiat, casusque cridæ, seu potioritatis nascatur, Creditor præter specialem insuper etiam generalem hypothecam sibi inscriptam habens super speciali solummodo sua hypotheca, etiamsi hæc eidem ex asse solvendo non sufficiat, classificabitur, cum residua autem sua prætensione ex inscripta sibi speciali hypotheca persolvi non valente post omnes creditores aliis specialibus hypothecis gaudentes in suplementum collocabitur.

Quodsi vero Creditor specialem simul, & generalem hypothecam sibi inscriptam habens, & specialem, qua gaudet, hypothecam, solutioni suæ ex integro non sufficere videns ex generali sua hypotheca adhuc specialem aliam, & diversam in reliquis Debitoris sui bonis obtinere desiderat, incumbet ipsi prætensionem suam ad aliud bonum Debitoris speciale in generali hypotheca implicite contentum salvo jure Creditorum ad illud jam antea intabulatorum, & assecuratorum intabulari curare, & cum distincta expressione: quod hæc ejus prætensio hoc vel illud specificum Debitoris bonum afficere debeat, ad Tabulas publicas insinuare, ubi is demum in bono specifico Debitoris sibi ex generali hypotheca recenter selecto prioritatem a die impetratæ Intabulationis obtinebit.

Creditor vero ille, qui generali solum hypotheca provisus est, eam tamen modo mox præmisso super bonum aliquod Debitoris specificum intabulari, & extendi non finit, nullam præ cæteris creditoribus speciali hypotheca munitis, quantumvis etiam ejus oblatuatio suæ generalis hypothecæ in actis proprii Districtus prior esset, prioritatem prætendere poterit, neque etiam, si Debitor ante institutum cridæ processum bona quædam vendidit, horum bonorum emptores ex ratione suæ generalis hypothecæ impetere valebit, sed simpliciter post omnes hypothecarios speciales in sententia classificatoria collocabitur. Ad damnum igitur a creditoribus de præterito assecuratis in tempore avertendum præsenti lege Nostra per expressum sancimus: ut Creditores in Regno Galiciæ & Lodomeriæ præsentes ejusmodi hypotheca generali a Debitore sibi insripta provisi, & quibus specialis sua hypotheca non sufficit, intra annum unum a die hujus latæ legis, extra Regnum vero absentes intra annum unum, & medium præfata oblatuatione, seu intabulatione super bono aliquo Debitoris specifico sibi tempestive prospiciant.

Quodsi igitur hæc oblatuatio, seu intabulatio intra terminum præfixum secuta fuerit, juris oblatuati, seu intabulati prioritas a die prioris

ob-

oblatuationis, roborationis, aut recognitionis ante præsentem legem latam in proprio Distrietu factæ computabitur. Si autem duo, vel plures Creditores ante legem hanc latam scripta sua uno eodemque die oblatuari, aut roborari feciſſent, aut recognoviſſent, prioritatis eorum a dato scripti oblati, roborati, seu recogniti computanda erit.

His jam de generali, & speciali hypotheca universim sancitis statuimus in specie, ut Creditores contra Debitorem judicialiter concurrentes peracta prætensionum suarum liquidatione in sententia classificatoria sequenti ordine collocentur, & quidem

## Ad Classem primam.

1mo. Effective adhuc, & in natura existentes in massa pecuniæ contributionales, aut ad cassam Legionum Nostrarum militarium, aut ad Ærarium Nostrum pertinentes, item pecuniæ teloniales de mercibus adhuc in natura existentibus Ærario Nostro nondum persolutæ indistinctim sive de persolvendis Teloniis Cridario fides habita, sive vero Telonium forte ob defraudationem Ærarii Nostri, & propter celationem mercium nondum persolutum sit, quæ tamen pecuniæ telonio Ærarii Nostri debitæ præcipue ex venditione mercium harum in massa adhuc in natura existentium solvendæ erunt.

2do. Omnes ii, qui in rebus apud massam adhuc in natura existentibus proprietatem habent, videlicet jus Dominii vindicantes, fidei commissarii, deponentes, commodantes, & oppignorantes, item pecuniæ titulo mandati creditœ, & pretiosa per testamentum aliquod ab Antecessoribus, ut apud familiam permaneant, relictæ, dummodo pecunia erga pignus credita ad massam Cridarii deponatur, & commodatum depositum, pretiosa, vel pecunia titulo mandati concredita adhuc in massa in natura reperiatur.

3tio. Pupilli sub curatella Debitoris, vel Patris cridarii existentes, & bona sua vel mobilia, vel immobilia in massa adhuc in specie reperibilia repetentes.

4to. Uxor cum rebus marito extra dotem importatis, & legitimo modo non dimissis, nec resignatis itidem adhuc in massa existentibus.

5to. Pecuniæ fideicommissariæ in natura existentes, vel etiam jam consumptæ in Bonis tamen radicatæ, vel speciali hypotheca provisæ, non tamen illae, quae speciali hypotheca non minutae, vel quae per Debitorem erga aliam minus securam hypothecam elocatae sunt.

6to. Demum illi, qui debitori merces non habita fide de pretio tradiderunt, easque in natura existentes ex massa repetunt, ubi tamen ad cognoscendum, quod fides de pretio re ipsa habita non sit, repetens cum liquidatione sua simul probare tenebitur, se merces has intra 8 dies a die factae traditionis repetiisse, & de illico sibi non restitutis conquestum fuisse, secus enim contra repetentem erit praesumptio, quod fidem de pretio habuerit, & is prioritatem hujus classis primae prorsus amittet.

## Ad Classem secundam.

Collocandae erunt

1mo erogatae in funeralia necessariae expensae una cum sumptibus luctus.

2do. Expensae cridae, & remunerationes Advocatorum tam creditoribus, quam debitori durante crida serventium praevia nihilominus moderatione, quod si autem hi Advocati pro praeterito ante cridam remune-

rationem aliquam praetendendam habent, haec ad hanc Claſſem non collocabitur.

3tio. Summaria pro medicamentis pro uno anno debita, remuneratio medicorum, ſeu chyrurgorum pro uno itidem anno ante cridam retenta.

4to. Merces domeſticis vel pro pecunia, vel pro victu, amictu & pecunia ſervientibus, & vel in majori vel in minori ſervitio domeſtico conſtitutis usque ad tempus cridae, & ademptae debitori adminiſtrationis reſtans, tenebitur tamen cridarius a tempore cridae, & amiſſae Bonorum ſuorum adminiſtrationis ſuis domeſticis mercedem aut victum, & amictum tempore ipſius cridae currentem ex pecuniis ſuae propriae alimentationis perſolvere.

5to. Actu jam perceptae per Regios Noſtros Tributorum Exactores, vel Regios Caſſarum Noſtrarum Officiales, & ab iisdem in proprios uſus converſae pecuniae, ſeu ad contributiones tam dominicales, quam ruſticales, in quantum cridarius ad has, vel ex ſuo, vel ex ſuorum facto obligatur, ſeu ad Caſſam Legionum Noſtrarum militarium, ſeu ad Telonia, ſeu quocunqe modo ad Ærarium Noſtrum Regium pertinentes, item reſtantia Ærario Noſtro Telonia ex mercibus jam non amplius in natura exſtantibus, & hae quidem omnes aerariales pecuniae tale jus praelationis habebunt, ut ante omnes ſubſequentium Creditorum praetenſiones ex vendendis rebus mobilibus cridarii, & ex reliqua ejusdem non tabulari ſubſtantia perſolvi debeant, in quantum videlicet ſubſtantia mobiliaris cridarii ad eas perſolvendas ſufficit, de reſiduo vero, quod in rebus mobilibus ad ſatisfaciendum Ærario Noſtro deeſt, inferius in tertia Claſſe diſponetur.

6to. Fundationes per Anteceſſorem debitoris ſtabilatae, ſeu Summae reemptionales per eundem ſecundum Regulam a Lege determinatam inſcriptae, ad has Summas fundationales, aut reemptionales tamen pecuniae ad erigendam fundationem creditae non numerabuntur.

7mo. Retentae pro tribus annis decimae in quantum videlicet in termino ad liquidandum praefixo infinuatae eſſent, etiamſi jus illas percipiendi in continuo ſolummodo quatuor annorum uſu fundetur, & alii quoque Eccleſiaſtici, aut Saeculares perpetui cenſus, & Canones Emphiteutici itidem per triennium retenti.

8vo. Sorores debitoris non edotatæ cum ſua dote eisdem prævie ſecundum legem patriam a proportione fundi concurſui ſubjecti non attentis debitis a debitore recenter contractis ex officio conſtituenda.

9no. Omnes debitores paterni oblatuatione, aut roboratione de lege præſcripta modo præmiſſo proviſi, & quorum oblatuatio aut roboratio antiqua priusquam a cæteris hypothecariis ſpecialibus in actis proprii Diſtrictus facta eſt.

10mo. Alimentationis Summa cuidam per Debitoris Anteceſſorem aſſecurata pro tribus annis de præterito, alimenta enim ultra triennium retenta, & ſpeciali hypotheca non præmunita, quemadmodum etiam illa, quæ ab ipſo debitore, & non ab ejus Anteceſſore alicui aſſignata, & aſſecurata ſunt, ad hanc Claſſem non pertinebunt, & demum

11mo omnes illi, qui pecunias vel cum permiſſu competentis Inſtantiæ, vel vero ſine hoc attamen probata utili in ipſum bonum verſione ad conſervandum bonum cridæ expoſitum mutuas dederunt.

## Ad Claſſem tertiam.

Ponendi erunt

1mo. Omnes Creditores Tabulares ſpeciales, ſeu vero illi, qui ſibi modoſuperius expoſito intra terminum præſcriptum oblatuatione, aut roboratione proſpexerunt, juxta prioritatem ſuæ oblatuationis primitivæ, uti

non

non minus illi, qui denominato prævie bono executioni obnoxio mandata executiva ad illud jam obtinuerunt, item ii, qui ſententiam pro ſe habent, eamque in futurum ad Tabulas exhibebunt, vel vero qui pro præterito pœnalitates decretis adjudicatas, & in ſublationem proceſſus e contraventionibus provenientes liquidandas habent, & hoc debitis actis inſinuarunt, vel de non adimpleto decreto manifeſtarunt, præterea quoque omnes illi, qui rem aliquam judicialiter condixerunt, in re nimirum condicta.

2do. Legatarii, & Fideicommiſſarii ſingulares, qui quidem a teſtatore ſpecialem hypothecam ſibi aſſignatam non habent, in tempore tamen legali, id eſt præſentes in Galicia intra ſex, abſentes vero intra duodecim menſes a die aditæ per Succeſſores ſubſtantiæ, prætenſiones ſuas coram Tabulis ſuper bono aliquo ſpecifico inſinuarunt, aut oblatuarunt, ubi illi etiam reliquis Creditoribus Succeſſoris, qui ante ipſos prætenſiones ſuas intabulari fecerunt, in hæreditatis ſubſtantia mobili, aut immobili præferuntur; quod ſi vero ipſis legatariis, aut fideicommiſſariis hypotheca ſpecialis per debitorem aſſignata fuiſſet, vel vero eadem non aſſignata ipſi intra ſuperius præfixum terminum prætenſiones, & legata ſua coram actis competentibus non oblatuarunt, tunc in primo caſu debito hypothecæ ſuæ ordine alioquin collocabuntur, in altero vero caſu prioritatem in hac Claſſe plane amittent.

3tio. Pecunia Venditori pro Bono empto ab emptore debita, & reſtans, licet ſpecialis hypotheca præcauta non ſit, dummodo contractus empti, & venditi, ſeu ita nuncupata donatio intra annum, & ſex hebdomadas coram actis competentibus oblatuata, roborata, aut recognita ſit, uti non minus etiam pretium locanti ex contractu locati conducti debitum in mobilibus videlicet durante crida in domo locata reperibilibus.

4to. Proviſiones Creditorum hypothecariorum ſpecialium, qui modo ſupraſcripto oblatuatione, aut roboratione quoad Summas capitales ſibi proſpexerunt, pro tribus annis ante promulgatam cridam, vel ante obtentam executionem retentæ, ulteriusque currentes, & quidem illico in loco ipſo, ubi ipſa Capitalia collocabuntur, non vero ulterius de præterito reſtantes niſi Creditor tribus vel pluribus annis ante cridam de rettentis ſibi proviſionibus judicialiter conqueſtus fuiſſet, quo in caſu etiam proviſiones ab ejusmodi Summa capitali pro tribus annis ante ipſam querellam judicialem reſtantes cum proviſionibus ulterius currentibus, in quantum hæ ex bonis executis interea perceptae non eſſent, hoc loco collocabuntur.

5to. Omnes illæ Ærario Noſtro debitæ pecuniæ, de quibus ſupra in Claſſe 2da §. 5to dictum fuit, quæ videlicet Ærario Noſtro ex ſubſtantia mobiliari Cridarii integraliter ſolvi non potuerunt, ſiquidem hoc ex ejus mobilibus integraliter perſolvi non valens, ærariale rafiduum poſt omnes alias ſpeciali hypotheca, & tabulari ſecuritate gaudentes prætenſiones in hac Claſſe tertia collocabitur, ſecus vero, ſi ejusmodi jam conſumptæ contributionales, militares, teloniales, & ærariales Summæ ad Tabulas oblatuatæ eſſent, in hac Claſſe tertia locum ſibi competentem inter alia debita hypothecaria ſecundum ordinem prioritatis per oblatuationem obtentæ ſortientur.

## Ad Claſſem quartam.

1mo. Collocabitur uxor cum dote marito realiter importata, actis competentibus non aſſecurata, intereaque temporis ſibi non reſtituta, ſub dote autem ea, quæ uxori ſeparatim donata fuerunt, vel vero ejusdem ſuſtentatio vidualis comprehendenda non erit.

2do. Contrados, ſeu Inſcriptio reformatoria, aut ſimplicis debiti coram actis competentibus non oblatuata, nec roborata, nec recognita in

Summa doti importatæ æquivalente, Contrados tamen seu ejusmodi Inscriptio reformatoria, aut simplicis debiti debito modo oblatuata, roborata, aut recognita ad tertiam Classem hypothecariorum specialium referetur, ibique locum suum obtinet, nisi doceri fortasse possit, Debitorem jam tempore factæ Inscriptionis tantum, quantum uxori suæ pro contradote inscripserat, in suis facultatibus non habuisse.

3tio. Legata ad pias causas speciali hypotheca non provisa, & in termino superius præfixo coram competentibus actis non insinuata, ad quæ deportanda debitor per Antecessorem suum obligatus fuit, non autem ea, quae ipsemet inscripsit, haec enim, si suo loco, & ordine oblatuata, aut roborata non fuerint, ultimo loco ponentur.

4to. Consumpta depositа, commodata, & pecunia titulo mandati percepta, ac jam erogata.

5to. Pecuniæ ex Cambio debitæ exceptis Cambiis siccis.

6to. Fiscus ex proprio Contractu cum Debitore inito debite non oblatuato, nec roborato, nisi in locum alicujus tertii successerit, cujus jure fruetur.

7mo. Ecclesiarum pecuniæ per earundem Præpositum aut Patronum ex Cassa Ecclesiæ levatæ, & specialiter non inscriptae.

8vo. Pupilli cum suis Summis in natura in Massa non existentibus, quibus specialis hypotheca non inscripta, eaque modo supra memorato legalisata non est.

9no. Advocati. Procuratores, Medici, Chyrurgi, & ejusmodi Mercedem sibi ultra annum unum retentam prætendentes.

10mo. Creditores, qui prætensiones coram actis alieni Districtus oblatuari vel roborari fecerunt, suaque jura petendi modo superius praescripto in termino praefixo ad acta competentia non transtulerunt.

11mo. Illi Creditores, qui pecunias absque provisione crediderunt, & demum.

12mo. Ii, qui ad prosequenda studia vel ad aggrediendum iter necessarium cum approbatione eorum, quibus studia vel iter ingrediens subest, pecunias mutuo dederunt. Ad extremum tandem collocandi erunt.

## Ad Classem quintam.

Universim omnes Creditores Chyrographarii simpliciter tales, uti etiam illi prætensiones suas oblatuari, aut roborari plane non fecerunt.

Item Summæ extra processum cridæ seu potioritatis in litis expensas erogatæ; ac cuipiam debitæ, & demum etiam.

Provisiones a Summis capitalibus specialiter, debiteque hypothecatis restantes, exceptis tamen iis, quæ superius in Classe 3. §. 4to jam recensitæ, & suo ordine collocatae sunt, & etiam provisiones, quae ex Chyrographis adhuc debentur.

Atque haec universa debita chyrographaria, si post persolutas jam omnes anteriorum quatuor Classium praetensiones Massa eorundem integrali solutioni sufficit, ex asse & in totum solvantur, si vero ex Massa iisdem in integrum satisfieri nequit, sine ulla reflexione ad prioritatem dati & temporis in Chyrographo appositi habenda ex residua Massae substantia secundum partem quotientem solvantur, seu singulis pro certa aliqua Rata tam viribus Massae, quam praetensioni ipsius Crediti commensurata satisfiat.

Quod si vero debitoris Massa adeo solutioni par sit, ut in ea, omnibus omnino Creditoribus etiam chyrographariis ex integro solutis, adhuc aes aliquod residuum paratumque permaneat, ad hoc residuum admittantur cumprimis reliqui creditores, qui forte praefixum ad liquidandum terminum neglexerunt, attamen eo ordine, quo ipsos alias secundum prioritatem

eo-

eorundem collocari oportuiſſet, & non niſi prævie præcedente prætenſionum ſuarum liquidatione. Tandem poſt Creditores chyrographarios.

Etiam Regius Fiſcus, ſi hic ex cauſa mulctæ ſeu pœnæ pecuniariæ fortaſſe adverſus debitorem prætenſionem habet, eamque debito tempore inſinuavit, & liquidavit, collocetur, atque ſi maſſa ſufficit, ſolvatur.

Quod ſi vero accidat, quod, poſtquam etiam creditoribus, qui terminum liquidandi neglexerunt, aut etiam fortaſſe prætenſionibus pœnalibus Regii Fiſci ex integro ſatisfactum fuerit, in maſſa Debitoris porro aliquid remaneat, tunc id, quod eatenus remanet, Debitori legaliter reſtituendum erit, ea lege, ut nemini Creditorum amplius liceat coram eo Judicio, in quo crida pertractata fuit, novam ſuper Maſſa ſeu ſubſtantia Debitoris excuſſa condictionem facere.

Cæterum, cum non raro quoque Debitor præter bona terreſtria, quæ Regio Noſtro Tribunali ſubſunt, etiam fundos civicos poſſideat, ex quibus omnino creditores præcipue illi, qui tam ſuper bono terreſtri quam ſuper fundo ejusmodi civico ſpecialem hypothecam inſcriptam habent, eo modo uti ex bonis terreſtribus Jurisdictioni Regii Noſtri Tribunalis ſubjectis debitam ipſis ſatisfactionem urgere poſſunt, ne ſuo tempore tum quoad claſſificationem, tum quoad ſolutionem ejusmodi creditorum aliqua difficultas oriatur, præſentibus per expreſſum declaramus.

Creditoribus ejusmodi tam in bono terreſtri, quam etiam in fundo civico ſpecialem hypothecam habentibus liberum quidem eſſe prætenſionem ſuam utrinque aſſecuratam tam in foro Regii Tribunalis, quam etiam in foro civitatenſi, ſi videlicet etiam in iſto proceſſus cridæ, ſeu potioritatis ortus eſt, liquidare, quod ſi tamen proceſſus cridæ citius apud Regium Tribunal quam apud Magiſtratum civitatis aut viceverſa finitur, ab illo foro coram quo proceſſus cridæ prius terminatur, ejusmodi Creditor ſine reflexione ad alteram Jurisdictionem, coram qua proceſſus cridæ contra debitorem adhuc finitus non eſt, cum integra ſua prætenſione in quantum fundus ſufficit, collocabitur, & in reliquo Inſtantia, coram qua Proceſſus cridæ adhuc terminatus non eſt, ſolum de ſubſecuta ejusmodi Creditoris claſſificatione informabitur.

Cum vero cujuslibet cridæ ſeu potioritatis Proceſſus cognita prioritate Jurium a Creditoribus liquidatorum is finis ſit, ut tandem bona Debitoris Creditoribus parato ære ſatisfacere non valentis prævia æſtimatione ſub haſta ſeu per auctionem publicam vendantur, hinc porro ſtatuimus, ut tum in æſtimatione, cum etiam in ipſa ſubhaſtatione bonorum, ſequens Norma obſervetur.

### Articulus tertius.

## De bonorum concurſui judiciali expoſitorum officioſa æſtimatione & ſubſequa eorundem ſubhaſtatione ſeu venditione per auctionem.

Ne vel Debitor vel vero Creditor quocunque demum modo ex æſtimatione aut ſubhaſtatione bonorum detrimentum patiatur, ſancimus, ut ante omnia,

1mo. Antequam ſupra nominati æſtimatores videlicet Judex Nobilium, & duo Nobiles ex eodem Diſtrictu ad ipſam æſtimationem bonorum progrediantur, & condeſcendant, Debitori & Sequeſtro demandetur, ut ſingulos fundos tum dominicales tum ruſticales ad bonum concurſui expoſitum ſpectantes, cenſus pertuos & temporales ſubditorum atque proventus omnes cujuscunque demum ſpeciei, uti non minus etiam contributiones

dominicales fideliter connotent, & Inventaria librosque, qui fundum & limites seu granities concernunt, paratos habeant, demum autem, ut cum mox fatis æstimatoribus.

2do. Juratus Geometra mittatur cum mandato fundos singulos ad bonum concursui subjectum pertinentes secundum exhibendam a Debitore & Sequestro mox dictam connotationem exacte dimentiendi & in Mappam topographicam redigendi, ut quivis bonum hoc sub auctione & hasta emens de circumferentia fundorum, jureque eos possidendi certus esse queat. Ne igitur ejusmodi fundi, ad quos vicinus aut tertius quispiam jus aliquod prætendit, pro fundis Massæ in dubie propriis & non controversis jactentur, æstimatores ex Judice Nobilium, & Nobilibus duobus deputati fundorum vicinorum Possessores sub spatio trium dierum ad Inspectionem limitum adcitabunt, & si quædam adcitatis vicinis circa fundi limites controversia movetur, Geometra partem fundi dimensi, in quæstionem vocatam in Mappa qua controversam annotabit, ut hujus qua ligitiosæ in detaxione reflexio haberi possit. Hanc vero a se confectam Mappam Geometra dictis æstimatoribus eo fine exhibebit, ut per ipsos, per Debitorem, per Sequestrum, & per alios horum fundorum notitiam habentes revideri possit, num omnes fundi dominicales & rusticales ad bonum pertinentes rite designati, nihilque, quod designatam erat, prætermissum sit. Mappa hoc modo confecta tenebuntur

3tio. Æstimatores deputati in id indagare, num consignati a Debitore aut Sequestro proventus, census, & alia fundi emolumenta sint reipsa ita, uti indicabantur, perceptibilia, & quænam vicissim onera fundo inhæreant, tenebuntur itidem frumenta in horreo aut granario reperta & jam triturata mensurare, in stramine vero existentia & nondum triturata sumpto prævie triturationis tentamine consignare, pecora pecudes aliosque effectus quoscunque in bono repertos conscribere, singulaque secundum currens fori pretium detaxare. Rebus his ita consignatis hi æstimatores.

4to. Singula quoque Debitoris mobilia per in arte peritos detaxari curabunt, eaque, si Emptores ad sunt, per auctionem plus offerenti, meliusque solventi vendent. Tum vero etiam ipsam bonorum immobilium æstimationem seu detaxationem assument, ita tamen ut, si ratione limitum cum vicinis controversia oriatur, fundi litigiosi æstimatio interea usque ad decisionem litis & homologationem sententiæ suspendatur, causa controversa autem demum decisa & homologata etiam hæc portio fundi æstimetur.

Quia autem hactenus pro varietate locorum, & consuetudinum bona immobilia vel secundum crescentias vel vero secundum dies laboratiles æstimari solebant, alterutri hujus aestimationis methodo, prout una altera-ve in eo Circulo aut Districtu, ubi bonum detaxandum situm est, usum obtinuit, insistent, ne tamen in detaxando quidpiam praetermittatur, suum aestimationis Protocollum in sequentes Rubricas partientur, videlicet pro parte illa Regionis,

## Ubi bona secundum Crescentias æstimari solent,

*In prima Rubrica* aestimabunt Palatia murata ex prudenti arbitrio a 600 usque ad 1400 Fl. Rhen. ædificia vero lignea a 50 ad 600 Fl. Rhenenses, in

*Secunda Rubrica* aestimabunt Jus Patronatus, quod solummodo Ecclesiam filialem aut Capellanatum concernit, 100 Fl. Rhenensibus, quod vero se ad ipsam Parochiam extendit, 200 Fl. Rhenensibus, in

*Tertia Rubrica* apponent singula Mobilia in ejusmodi Palatio aut aedificio inventa superius jam aestimata in pretio per in arte peritos adinvento, in

*Quar-*

*Quarta Rubrica* aeſtimabunt Granaria a 100 usque ad 1400 Fl. Rhen. in id praecipue attendendo, num unius ſolum, vel plurium annorum creſcentia in iis aſſervari queat, ſummamque inde emergentem ad Capitale ſimpliciter computabunt, in

*Quinta Rubrica* Fundos ab aliquot annis deſertos ſecundum proportionem antea ſolitæ ſertilitatis, in

*Sexta Rubrica* Cenſus omnes tum pecuniarios, tum naturales, attamen naturales ad certum pretium reducendo, in

*Septima Rubrica* Cenſus mutabiles Contuberniorum ac Judæorum, in

*Octava Rubrica* Emolumentum ex laterariis aliisve officinis ſecundum ſexennales proventus, ex his autem deducantur prævie ſingulæ Expenſæ neceſſariæ ex rationibus œconomicis aut ex informatione œconomorum eruendæ, & ſtatuatur mediocris proventus pro cynoſura, in

*Nona Rubrica* Proventus ex Pontibus, Molendinis, Braxatoriis, & Crematoriis ſecundum quantum mediocre ex ſexennalibus rationibus computandum, ſi vero hi Proventus in Arendam locati ſunt, ſecundum annale Arendæ pretium, in

*Decima Rubrica* Hortos in Arendam datos ſecundum annuum Arendæ pretium, non locatos autem in Arendam ex prudenti arbitrio, in

*Undecima Rubrica* Prata ſecundum quantum orgiarum fœni annuatim colligibilium ad 6 Fl. Rhen. detaxatarum, in

*Duodecima Rubrica* Silvas pro ratione annalis proventus ex lignis ad vendendum cæſis, in

*Decimatertia Rubrica* Proventum ex ſaginatione per duos aureos a bove, in

*Decimaquarta Rubrica* aeſtimabunt Proventum ex pecoribus, pecudibus, equis & volatilibus quovis anno perceptibilem, & quidem a vacca cum vitulo videlicet 5 Fl. Rhen. ab ove una 30 kr. a reliquis vero arbitrarie, in

*Decimaquinta Rubrica* Piſcinas vel ex pretio annuo Arendæ, vel ex triennali venditione piſcium, & res omnes, ex quibus certus proventus habetur, juxta emolumentum, quod annue ferunt, & tandem in

*Decimaſexta Rubrica* aeſtimabunt non uti hactenus ſolitum erat, triennalem, ſed ſexenalem creſcentiam, & mediocrem inde uni anno correſpondentem Proventum eruent, quamlibet frumenti ſpeciem ex mediocri fori pretio taxando.

Hac detaxatione præfatarum Rubricam per acta de Summa integrali ex Rubricis 5ta usque ad 16tam proveniente onera fundi perpetua, & ipſæ contributiones Regiae dominicales in integrum, pro neceſſariis œconomiae expenſis vero Floreni Rhenenſes 20 a Centum detrahantur, quantum deductis mox dictis deducendis velut clarus annus Proventus remanens reducatur ad capitale quemlibet florenum annui Proventus cum 20 florenis multiplicando, ut obtineatur Summa capitalis proventibus annuis ex Rubrica 5ta uſque ad 16tam correſpondens, huic praedicto modo ex Rubricis praefatis computatæ & adinventae Summae addantur demum Summae ex detaxatione 1mae 2dae 3tiae 4tae Rubricae provenientes, hocque modo obtinebitur verus valor totius boni ſecundum creſcentias detaxandi, quem ab aeſtimatoribus deputatis ſuo detaxationis Protocollo inſeri oportebit. Jam porro quoad alteram detaxandi Methodum videlicet.

## Ubi Bona ſecundum Dies laboratiles æſtimari ſolent,

*Primo.* Æſtimatores in quatuor primis Rubricis Palatia, & aedificia, jus patronatus, ſingula mobilia, & demum granaria eo modo, & in eodem valore, quemadmodum ſuperius in aeſtimatione ſecundum creſcentias ſtatutum fuit detaxabunt.

*Secundo.* Illas in præfata ſecundum creſcentias aeſtimandi cynoſura contentas Rubricas, quae hactenus in Diſtrictu, ubi Bonum detaxandum ſitum eſt, ſecundum dies laboratiles aeſtimari ſolebant, porro, ſecundum dies laboratiles taxabunt, valorem tamen & pretium, ſeu jugalium, ſeu pedeſtrium operarum non niſi ſecundum fertilitatem, terrae, & ex conſuetudine hactenus recepta computabunt, caeteras vero Rubricas omnes, quae

*Tertio* ex diebus laboratilibus taxari nequeunt, vel ex annuo arendae pretio, ſi locationi ſubſunt, vel ex annuali proventu, vel vero ſecundum medium pretium ex triennalibus, uti apud piſcinas, aut ex ſexenalibus reditibus, quemadmodum apud braxatoria &c. deſumendum, modo ſuperius de detaxatione ſecundum creſcentias ſancito, & deductis praevie deducendis aeſtimabunt, & poſteaquam demum ex proventibus a Rubrica 5ta uſque ad 16tam computatis onera fundi perpetua, Contributiones Regias, dominicales, & pro neceſſariis œconomiae expenſis 20 Fl. Rhenenſes a 100 detraxerint, in computando univerſo totius boni valore ex omnibus ejus Rubricis, & proventibus eandum cynoſuram obſervabunt, quæ ſuperius de æſtimatione ſecundum creſcentias in §. *hac æſtimatione præfatarum Rubricarum*, præfixa fuit.

*Quarto.* Ubi demum jam una alterave Methodo detaxatione totius boni peracta, verusque valor, & Summa capitalis, cui tale bonum æquivalet, ab æſtimatoribus protocollo detaxationis inſerta fuerit, ſtatuimus.

*Quinto.* Ut protocollum hoc creditoribus, & debitori per extenſum publicetur, & quidem vel mox in fundo, ſi ibidem Creditores fors una adeſſent, ſecus vero ut illud a prædictis æſtimatoribus Regio Noſtro Tribunali ſubmitatur, & ab hoc praevie adcitatis creditoribus & debitori publicetur. Reflectent tamen una ad id ſpecialiter individua ad æſtimanda bona deputata,

*Sixto.* Num bona detaxata commode in duas, tres, vel plures partes dividi poſſent, ut videlicet eo caſu, ubi prima ſubhaſtatio, & venditio ſub auctione fruſtraretur, aut ipſi Creditores usque ad novam, & alteram ſubhaſtationem in eadem bona immitti, aut vero aliquis eorundem adminiſtrator, qui interea currentes proviſiones Creditoribus perſolvat, conſtitui poſſit. Si vero æſtimatores deputati bona ſine notabili detrimento, & deceſſu proventuum in partes dividi non poſſe autumant, opinionis hujus ſuæ motiva in relatione de peracta æſtimatione Regio Tribunali ſubmittenda exponent. Quod ſi porro

*Septimo* vel Creditorum quiſpiam, vel ipſe debitor per æſtimationis pretium ſe gravari ſentiat, liberum eidem quidem erit, gravamina ſua Regio Tribunali intra dies 14, a die illo, quo publicati detaxationis protocolli copia levari potuit, computandos exhibere, qui gravatorialis libellus judici Nobilium, & duobus Nobilibus ex Diſtrictu, qui bona detaxarunt, ad excipiendum ſub termino 14 dierum communicabitur, ſicque porro de 14. in 14. dies ad replicam, & reſpective duplicam præciſa omni dilatione perducetur, & demum gravamen per hæc ſcripta deductum a Regio Tribunali decidetur. Ne tamen

*Octavo* ejusmodi aut Creditor, aut Debitor æſtimatores bonorum temeraria quærela divexet, tenebitur contra æſtimationis pretium non fundate quærulans creditor his bonorum æſtimatoribus ex pretio, quod majus, vel minus eſſe debere prætendit, unum Florenum Rhenenſem a quibuslibet centum in pœnam ſolvere, debitor vero ſine ſufficiente fundamento conquerens, ſi eandem pecuniariam mulctam ſolvendi capax non eſt, arreſtu punietur. Porro Debitori licebit

*Nono*, Bonum æſtimatum poſt publicatum detaxationis pretium intra 10 hebdomadas redimere, aut vero cum creditoribus alia Methodo componere, ſi vero in dicto termino nec bonum redimit, nec cum creditoribus amicabilem compoſitionem init, & de caetero nemo per adinventum

aeſti-

æstimationis pretium se gravatum sentit, aut vero ejusmodi gravamen jam decisum est, tunc

*Decimo* ad subhastationem ipsam termino ejusmodi excipiendo jam elapso sequenti modo progrediendum erit. Cumprimis Regium Nostrum Tribunal e gremio suo binos Commissarios ad actum hujus subhastationis boni, vel bonorum concursui expositorum nominabit, qui in urbe Leopoli ad eorum venditionem sub hasta, & per auctionem procedent, & cum primis bonum seu dominium integrum, &, si id ex pluribus villis constet, simultanee, & conjunctim vendere tentabunt, si vero ejusmodi simultanea venditio totius dominii, aut boni obtineri nequit, sed facilius per partes, & villa una separatim ab altera sine præjudicio alterius, aut cæterarum vendi potest, fiat subhastatio dominii, aut boni detaxati per partes exdivisas, in quantum cum minimo detrimento fieri poterit. Subhastationem, seu venditionem per auctionem ipsam autem Comissarii Regii Tribunalis Nostri

*Undecimo* accensa luce inchoabunt, eamque eousque continuabunt, donec inter auctionem, & factam ab emendi cupidis oblationem majoris semper, & majoris pretii lux accensa exstinquatur, & si exspirante luce quispiam emptorum habeatur, qui ipsum adinventum æstimationis prætium, vel quidpiam ultra illud, vel plus cæteris emptoribus obtulit, plus offerenti, & melius solventi bonum sub hasta expositum adjudicabunt. Quodsi vero

*Duodecimo* adhuc ante ipsum terminum subhastationis unus alterve creditorum ex peculiari ratione contra subhastationem protestaretur, vel vero in ipsa subhastatione nullus emptor obtingeret, qui adinventum æstimationis pretium offere vellet, tunc in primo casu Regium Tribunal vota creditorum deterioris juris, qui majores Summas prætendendas habent, colliget, & secundum pluralitatem eorundem absque omni provocatione ulteriori subhastationem expedire, vel vero suspendere mandabit, in casu vero altero Commissarii ad subhastandum deputati Regio Tribunali simpliciter referrent, Regium Nostrum Tribunal autem

*Decimotertio* bonum ipsum, si id in duas, tres, vel plures partes facile, & sine detrimento proventuum divisibile est, duobus tribus & pluribus creditoribus ea cum obligatione tradet, ut reliquis creditoribus currentes provisiones persolvant, & onera fundi deportent. Si vero tale bonum in partes facile, aut sine decessu proventuum dividi nequit, super eo administratorem erga reddendas rationes ad annum unum constituet, ipsisque creditoribus prioritate gaudentibus provisiones currentes erga eorum Apochas seu quietantias solitas ab Administratore in fine anni cum ejus rationibus producendas persolvere demandabit. Quod si vero interea

*Decimoquarto* Annus inter labatur, seque nemo creditorum insinuet, qui bonum administrationi traditum in se cum obligatione cæteris creditoribus satisfaciendi suscipere vellet, Regium Tribunal Nostrum ad evitandam noxiam bonorum communionem sub termino 6 Mensium iteratam, & alteram bonorum per auctionem, subhastationem ordinabit, quæ eadem Methodo, uti prior, quæ frustrane cessit, expedienda erit, & si demum

*Decimoquinto* etiam tunc nemo emptorum reperiatur, qui determinatum æstimationis pretium offere vellet, bonum ipsum etiam infra detaxationis pretium ea lege vendi poterit, ut emptor hoc bono jure omnino perpetuo fruatur, nisi ipse debitor, aut proximi ejus consanguinei, quibus jus retractus secundum patrias leges competit, intra tempus trium annorum & trium mensium a die licitationis seu subhastationis per auctionem computandum adinventum detaxationis pretium porro offerret, vel vero creditores ipsi potius bonum detaxatum sibi per partes prætensionibus suis correspondentes suo periculo tradi exoptarent, ubi in casu primo bonum distractum illi, qui adinventum detaxationis pretium solvit, adscribetur, pretiumque ipsum inter creditores secundum eorum prioritatem distribuetur, in altero

vero caſu bonum creditoribus eorundem periculo in perpetuum dimmitte tur. Et cum porro

*Decimoſexto* non raro contingat, quod debitor bona quædam regalia ad dies ſuæ vitæ poſſideat, quæ ob ſubverſans noſtrum directum dominium ſub haſta venire non poſſunt, vel quod inter creditores concurrentes aliqui tempore promulgatæ cridæ, ſeu potioritatis proceſſus in actuali bonorum poſſeſſione ipſis judicialiter tradita, vel ex jure obligatorio obtenta exiſtant, de quibus certam quoque hic cynoſuram præfigi neceſſe eſt, hinc ſtatuimus,

*Decimoſeptimo* Ut quando debitor præter bona hæreditaria etiam bona regalia ad dies vitæ poſſidet, mobilia debitoris in bonis regalibus ab eo poſſeſſis inventa ipſique propria eo modo, ut reliqua ipſius mobilia cujuscunque ſpeciei in bonis ejus hæreditariis reperta ſive per in arte peritos, ſive vero ſecundum mediocre fori pretium detaxentur, & plus offerenti meliusque ſolventi per auctionem vendantur. Quod vero bonum ipſum regale immobile attinet, quo debitor uſque ad dies vitæ frui deberet, Regium Gubernium Noſtrum requirendum erit, ut pro creditoribus, qui ex bonis hæreditariis ex integro ſolvi nequeunt, eo fine, ut ſuam exportione proventuum boni regalis, quæ debitori a Gubernio aſſignabitur, ulteriorem ſatisfactionem obtineant, neceſſaria diſpoſitio fiat, ubi creditoribus concurrentibus demum omnibus ex aſſe, & in integrum ſolutis, debitori adhuc in vivis exiſtenti Regium Noſtrum Gubernium bona Regia juri illius advitalitio obnoxia eidem denuo extradet. Quod vero

*Decimooctavo* Creditores judicialiter intromiſſos & tempore promulgatæ cridæ actualiter bona debitoris poſſidentes concernit, ab his illico poſt promulgationem cridæ calculus de proventibus interea perceptis exigendus erit, illique bona per ſe poſſeſſa ad manus ſequeſtri deoccupare debebunt. Si tamen in his bonis quosdam proventus ſive apud ſubditos ipſos, ſeu vero ex fundo uſque ad diem promulgatæ cridæ reſtantes habent, erunt hæ ſummæ reſtantes ſeparatim per Sequeſtrum, & per Commiſſarios ad detaxanda bona deputatos connotandæ, & quod his poſſeſſoribus judicialiter intromiſſis realiter deberi apparuerit, hoc illis ſive in natura, ſive in æquivalenti pretio præ reliquis omnibus creditoribus ad rationem eorundem prætenſionis in fine proceſſus prioritatis ſuo ordine collocandæ extradendum erit.

Ne autem dicti hi creditores diutius in bonis debitoris motentur, ſtatim poſt literas edictales ratione cridæ expeditas iisdem a Regio Tribunali per ſeparata decreta mandabitur, ut calculum reddant, proventusque usque ad diem promulgatæ cridæ fortaſſe ſibi debitos fideliter connotent, atque conſignent. Quoniam autem, quod

*Decimonono* Poſſeſſores obligatorios tempore promulgatæ cridæ ſeu potioritatis in bonis debitoris exiſtentes attinet, Poſſeſſor ejusmodi, quamdiu ejus contractus obligatorius durat, nec bonum a ſe obligatorio jure poſſeſſum deoccupare, nec etiam exſpirante ipſo contractu calculum de perceptis proventibus & fructibus, niſi inter partes contrahentes aliter conventum fuerit, reddere tenetur, ejusmodi obligatorius poſſeſſor ante elapſum contractus, & poſſeſſionis ſuæ obligatoriæ terminum, quantumvis interea contra debitorem concurſus creditorum oriatur, invitus, & niſi ipſe ſponte velit, de poſſeſſione jure obligatorio habita cedere non obligabitur, ſed ſi tempus contractus, & poſſeſſionis obligatoriæ nondum exſpiravit, & interea contra debitorem crida, & proceſſus potioritatis oriatur, ante omnia, & ante ipſam promulgationem cridæ ejusmodi poſſeſſor a Regio Tribunali Noſtro percipiendus erit, an juri ſuo, quod ex obligatorio contractu eidem ad poſſidendum competit, ſponte, & libere renunciare, & bonum a ſe poſſeſſum concurſui creditorum, detaxationi, & ſubhaſtationi ſubjicere, an vero in poſſeſſione obligatoria hujus boni uſque ad exitum contractus perſiſtere malit.

Quod

Quod ſi jam ejusmodi poſſeſſor ſe declarat, atque in detaxationem, & ſubhaſtationem judicialem boni, quod jure obligatorio poſſidet, etiam adhuc ante finem ſui contractus obligatorii diſponendam conſentit, eadem norma a Regio Tribunali, & a Commiſſariis tam detaxationis, quam ſubhaſtationis quoad tale bonum jure obligatorio poſſeſſum obſervabitur, quæ quoad alia bona ſuperius juri obligatorio non obnoxia præſcripta fuit.

Si vero Poſſeſſor obligatorius juri ſuo ante finem ſui contractus ultronee renunciare, & in detaxationem ſubhaſtationemque boni a ſe poſſeſſi conſentire nolit, differatur tam detaxatio, quam ſubhaſtatio boni jure obligatorio poſſeſſi, usque dum contractus obligatorius inter creditorem, & debitorem actu ſubſiſtens exſpiret, quamprimum autem ejusmodi contractus exſtinctus erit, debitori nec eundem cum eodem creditore renovare, nec prorogare, nec cum alio creditore novum condere erit licitum, aut validum, ſed quoad hoc bonum finito contractu a vinculo juris obligatorii jam liberum a Regio Noſtro Tribunali cum promulgatione cridæ, convocatione creditorum ad liquidandum, cum inſtitutione Sequeſtri, & ſententia claſſificatoria & itidem quoque tam a judice nobilium, & duobus nobilibus ad detaxationem, quam a Commiſſariis e Gremio Regii Tribunalis ad ſubhaſtationem ipſam modo, & ordine prærecenſito progrediendum erit.

Poſſeſſor autem ejusmodi obligatorius vel ante finitum contractum ſponte, vel exſtincto neceſſario de poſſeſſione obligatoria cedens, ſi concurſus Creditorum oritur, & ille forte adhuc aliquam prætenſionem habet, hanc eodem modo, uti quilibet alter creditor in tempore legali inſinuabit, liquidabit, & cum liquidata ſua prætenſione in competenti loco, & ordine claſſificatorio collocandus erit.

Quantumvis autem etiam conſtaret, ejusmodi poſſeſſorem obligatorium tempore poſſeſſionis nomine proviſionum majores proventus, quam quinque a centum percepiſſe, ab eo tamen nec calculus ſuper proventibus boni tempore ſuæ poſſeſſionis acceptis exigi, nec eidem illud, quod nomine proviſionum ex proventibus ultra quinque per centum obtinuit, a prætenſione quam forte adhuc contra debitorem habet, detrahi poterit, quemadmodum viceverſa etiam ejusmodi poſſeſſori obligatorio defectus proviſionum, ſi forte ex proventibus boni tempore ſuæ poſſeſſionis minus quam quinque per centum obtinuit, reſarciri non debebit, niſi in contractu aliter conventum fuerit. Et cum porro

*Vigeſimo* Creditorum quoque interſit univerſam debitoris ſui ſubſtantiam congregari, fundumque paratum maſſæ augeri, ut eo celerius prætenſionibus ſuis, in quantum iis ſolvendis debitoris maſſa ſufficiens erit, potiri poſſint, inſtituto ſequeſtro incumbet ab omnibus iis, qui cridario, & ejus Maſſæ ſequeſtratæ, quidpiam debent, ejusmodi debita exigere, & opitulante etiam curatore ad lites Maſſæ inferre. Quod ſi vero quædam debita Maſſæ a debitoribus quantocyus inferri nequeant, aut ſi ea prorſus inexigibilia ſint, ſcripta ejusmodi obligatoria ſeu debitoria interea uſque ad ſolutionem debiti, vel uſque ad finem cridæ in judiciali depoſito ſervanda, & in fine cridæ iis Creditoribus Maſſæ, qui ex parata illius ſubſtantia integraliter ſolvi nequeunt, ſi hæc ſcripta debitoria in ſolutum prætenſionis ſuæ acceptare volunt cum ſcripto reſignatorio ſeu ceſſionis & erga quietantiam acceptantis extradenda erunt.

In reliquo demum omnibus iis Creditoribus concurrentibus, qui ob inſufficientiam ſubſtantiæ cridæ ſubjectæ integrali ſolutione prætenſionum ſuarum potiri nequeunt, a Regio Tribunali Noſtro in ſententia claſſificatoria regreſſus ad omnes, & ſingulas debitoris cridarii facultates quandocunque vel ubicunque locorum reperibiles, aut eidem per favorem melioris fortunæ ſuperventuras per expreſſum in ſatisfactionem reſiduarum ſuarum prætenſionum præſalvandus erit.

In quorum omnium præsenti Lege Nostra statutorum exactam observantiam Regium Nostrum Tribunal, ut sollicite invigilet, suprema Nostra Mens, & intentio est.

Datum Leopoli die 28. April. 1780.

Henricus S. R. I. Comes de Auersperg.

(L.S.)

Joannes Maria Rigler.
Secretarius.

---

## VI.

### Wird die Taglia für die von unbestimmten Urlaub desertirende Mannschaft bestimmet.

Von Ihro ꝛc.

